non exuperat. Si tandem per sinum suprascriptum 1371564. quæsieris logarithmum dati 137.is (per hanc, & 11.sect.cap.3.) deprehendetur esse 19866327——0000. Nec secus operandum erit signo † quando numerus figurarum datæ quantitatis excedit numerum figurarum sinus ei simillimi,quod rarò contingit: vt, si quæratur numeri seu discretæ quantitatis 232702. logarithmus, inuenies in tabula sinum 23271. ei omnium simillimum,sed vnica deest huic figura. Huius ergo logarithmo tabulato (per sect.11.cap.3.) reperto, qui est 60631284, adiiciatur vnica cyphra signo † interposito, & fiet 606312841o. pro logarithmo numeri 232702. quæsito. Sed modus logarithmos æstimandi omnium optimus est, quo primò creati sunt:de quo alibi.

3. *Vnde vt superiore prima sectione logarithmi simplices, & puri exhibentur:ita hac præcedente appositis cyphris impuri emergunt.*

4. *Similium signorum logarithmos addere, est aggregatum vtriusque cum signo communi exhibere.*

Vt ex additione —— 56312. ad —— 73495. prouenient —— 129807. Itemque addito 4216. ad † 5392. producuntur 9608. Sic 3219 —— 00. ad 4360 —— 000. faciunt 7579 —— 00000.

5. *Dissimilium signorum logarithmos addere, est differentiam eorum cum signo maioris numeri exhibere.*

Vt ex additione —— 210. ad 332. producitur † 122. Item ex additione —— 210. ad 192. producitur —— 18. Sic —— 210. † 000. ad 332 —— 00. sunt 122 † 0. Item —— 210 —— 000. ad 192 † 00. sunt —— 18 —— 0.

6. *Duorum logarithmorum, hic illius defectiuus, ille autem huius abundans propriè dicitur:cum & numerum, & cyphras communes seu eosdem:signa verò omnia † & —— penitus contraria habeant.*

Vt abundantis 56312. defectiuus est —— 56312. Item abundantis 56312 —— 00. defectiuus est —— 56312 † 00. Sic abundantis 56312 † 00. defectiuus est —— 56312 —— 00.

7. *Abundantem substrahere, est eius defectiuum addere.*

Vt substrahere abundantem 56312. ex —— 73495. idem erit, quod addere illius defectiuum, qui (per 6.) est —— 56312. ad eundem —— 73495. fientque (per 4. præmissam) —— 129807. Sic substrahere 56312 † 00. ex —— 73495 —— 000. est idem quod addere —— 56312 † 00. ad —— 73495 —— 000. fiuntque (per 4. & 5. præcedentes) —— 129807 —— 00000.

8. *Defectiuum substrahere est eius abundantem addere.*

Vt substrahere defectiuum —— 4216. ex † 5392. est idem quod addere 4216. ad 5392. & (per 4.) producere 9608. Sic idem est substrahere —— 4216 † 00. ex 5392 † 0. quod addere 4216 —— ad 5392 † 0. & producere 9608 —— 0.

9. *Logarithmum numero-tenus augere vel minuere saluo valore pristino, est ad illum addere, aut ab eo substrahere quemuis ex logarithmis sequentibus, scilicet 23025842 † 0. vel 46051684 † 00. vel 69077527 † 000. vel 92103369 † 0000. vel 115129211 † 00000. nihil prorsus significantibus.*

Vt sit logarithmus 39156 —— 0. cui si addideris illorum quemuis, vt exempli gratia, 23025842 † 0. fiet inde 23064998. maior numero, valore autem prorsus idem qui 39156 —— 0. Namque huius 39156 —— 0. logarithmi, quantitas seu valor numeralis (per 12. & 13. sect. seq. huius) est 9960920. à quibus deme vnicam figuram vltimam prout —— 0. notat, & fiet 996092. Illius autem logarithmi 23064998. valor numeralis (per seq. sect. 12. & 13. huius) est etiam 996092. idem, qui prius.

Exemplum minutionis.

SIt Logarithmus 25451769, minuendus, à quo si subduxeris 23025842 † 0. relinquitur 2425927 —— 0. eiusdem valoris, cuius prior hic 25451769. Nam simplicis & puri logarithmi 2425927. valor est decuplus valoris vtriusuis eorum. Sunt ergo eorum valores inuicem æquales. Nihil enim aliud significat additio logarithmi 23025842 † 0. quam quod valor numeri cui additur, sit decupartiendus, & huic decimæ parti cyphra vnica sit adjicienda: substractio verò eiusdem significat valorem logarithmi à quo substrahitur decuplari, & ab hoc decuplo